80. Sacramentarij pari modo ἀεροβατοῦντες, cœlum, in quod Chriſtus aſcendit, accipiunt pro finito quodam ac diſtincto ſupra regionem ſydeream domicilio, quo corpus Chriſti ita fuerit exceptum, ut certo quodam in eo loci ſpacio occupato, ſic circumſcriptum contineatur, ut dum iſto ambitur, nullo alio loco vel cæli vel terræ eſſe queat: quo etiam fiat, ut tanto locorum intervallo diſtet à Sacramentis in terra diſpenſatis Corpus Chriſti, quantum ſummum cœlum ab infima terra.

Zuing. in Exegeſ. Calvin. Confeſ. form. f. 25. Beza Tom. 1. f. 658. Pet. Martyr in Dial. Bulling. in Tractat. ..b: Cœnæ.

81. Lerna hæc eſt & abyſſus craßißimorum errorum: quibus perduelli χειϛομαχίᾳ & Gyganteâ planè audacia non cœlum ſed ipſum thronum Maieſtatis & potentiæ divinæ in creaturarum ordinem redigere homines iſti conantur.

82. Nos ſacrarum literarum edocti magiſterio, primum quidem cœlum, in quod Chriſtus aſcendit minimè definiendum eſſe ſtatuimus parte illa Mundi ſiderea & aſpectabili, quæ in nihilum tandem, ſcriptura teſte, redigetur.

83. Quemadmodum D. Auguſtinus lib. 2. de ſermone Domini in monte, exponens hæc verba

 (Pater